



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM XXIX.

Ascalaphus puer in bubonem transfiguratur.

s. *Metam.*

Ethicè.

1. Gula in re tenui. 2. Incauta securitas. 3. Delator improbus.
4. Judex sapiens & æquus. 5. Femina mutabilis.

Posteaquam Pluto, quod memoravimus, *Proserpinam* Ceresis filiam per vim rapuit, & ad infera regna abduxit, *Ceres Saturni & Opis* filia, *Iovis* soror, accensis in *Ætna* monte tædis; filiam amissam toto orbe, maximo labore perquisivit. Omnia perlustranti, *Cyane* Nympha Sicula, quæ quòd *Proserpinæ* adversus *Plutonem* opem ferre conaretur, ab illo commutata in fontem est, ei *Zonam Proserpinæ*, in undas suas delapsam, monstravit; loqui enim, & quod gestum fuerat, narrare nequibat. Dehinc ad *Arethusam* Nympham delata, quæ & ipsa *Procum Alpheum* Fluvium fugiens, in fontem sui nominis mutata, & ex *Arcadia* per subterraneos meatus in *Siciliam* lapsa, denique juxta *Siracusas* erupit. Hæc narravit *Cereri*, se, dum per inferna cursu ferretur, *Proserpinam* illic, quanquam adhuc mœstam, jam tamen inferorum reginam, *Plutonis*que regis conjugem conspexisse. Stupefacta hoc nuntio *Ceres*, in cœlum properè vehitur; sine mora ad *Jovem* admittitur; recenset quid factum filiâ; eam sibi restitui postulat. *Jupiter* faciles dedit aures sororis precibus; ut tamen mitiget acerbitem doloris è raptu virginis concepti, culpam elevat fratris, scilicet *Plutonis*, qui tertius *Saturni* heres, vasto inferorum regno potiatur, tamque generis nobilitate, quàm potentiâ & divitiarum amplitudine sponsæ par esse possit; ne tamen nihil sorori dedisse videatur, pollicetur revocandam è *Stygijs* oris *Proserpinam*, si nihil in illis degustarit; hanc enim legem à *Parcis* esse latam, sibi haud quaquam infringendam. Sed, ut feminarum est impotens cupiditas, *Proserpina* non tam fame, quàm curiositate ducta, dum fortè *Plutonis* pomarium obambulat, carpsit malum *Punicum*, & aliquot ejus grana deglutijt, (Poëtæ septem aut novem fuisse asserunt) sicque jejunium solvit; se verò tristi captivitate alligavit. Poterat late-re tantilla culpa, nisi *Ascalaphi* pueri, *Acheronte* Fluvio geniti, indicio palam

palàm factum fuisset inferorum Judicibus, gustatum incautè pomum. Igitur, quoniam ita Fata ferebant, in perpetuum miseræ reditus ad superas plagas interdicitur. Ingemuit calamitati suæ Proserpina, doloreque percita, scelestum delatorem Phlegethonteâ conspergit undâ, momentoque facit avem, & quidem *Bubonem*; nam caput

In rostrum, & plumas, & grandia lumina vertit.

Ille sibi ablatum, fulvis amicitur ab alis,

Inque caput crescit, longosque reflectitur ungues:

Vixque movet natas per inertia brachia pennas.

Fœdâque sit volucris, venturi nuntia luctus,

Ignavus bubo, dirum mortalibus omen.

Non tamen quievit Ceres, pertinâxque apud Jovem instat, suam ut sibi filiam in libertatem assereret. Victus importunitate rogantis cœlicolùm rex, sententiam tulit inter Plutonem fratrem, & sororem Cererem, sequestram: concessitque, ut Proserpina dimidia anni parte apud inferos, dimidiâ, cum matre apud superos, hoc est, in mundo nostro vivere posset.

Ethica.

I. (a) Proserpinam, ne ab inferis liceret redire, prohibuit esca incautiùs sumpta. Septem grana mali Punici, quantilla res! Profluxit hoc Poëtarum commentum à primæ mortalium omnium parentis gula, quæ nepotes perdidit unico morsu pomii vetiti. Nimirum non refert, quantum sit illud, quod adversus leges perpetratur; sed quàm grave mandatum sit ratione imperantis, quod temerariè infringitur. Malum arrisit *Eva*, arrisit Proserpinæ; utraque fatali orexi, magnis se calamitatibus involvit. Parva sæpe buccella in *Ditis* potestatem redegit. E. D. Gregorij Dialogis scimus, cacodæmonem lactucæ insidentem à virgine sacrata magno suo malo devoratum fuisse. Quidam è S. Hilarionis discipulis uvam vetitam decerpit, quæ in serpentem versa adjurante Divo, loqui cœpit, & indicavit, quæ gulonem pericula mansissent, nisi altiore vi averfa fuissent. Sanch. de regno Dei. Et verò insidias Orci non in perdicibus modò, sed in vili pulticula latere, *Esavi* voracitas docuit. Nec tantùm in cyathis Cretico spumantibus vino sed etiam in hydria infernalem inesse Hydram memoratus Scriptor recenset. Fortè Lopezium Episcopum sanctimoniâ celebrem nocturna, & hoc ipso in-

T 2

tem-

(a) Gula.

tempestativa sitis impulerat ad frigidam haustum postulandum. Ea dum adfertur, suspicari secum cepit vir religiosus: Verene sitis ea, an magis phantasiae vehementia, & illusio demonis esset. Igitur victo bibendi appetitu aequalem illibatam ad caput lecticæ adstituit. Et ecce! quod constaret, cuius insidijs sitim concepisset, diabolam audivit, nocte, quam longa fuit, totam gementem & suspiria intra urceum, ducentem. Crudele ac barbarum est, quod de Mahomete Ottomano Turcarum tyranno scribitur, eum desideratum in arbore sibi chara pomum, in Epheborum, quos in horto fuisse constabat, aperto corpore scrutari iussisse. Major immanitas hostis Stygij, unicum paradisi pomum, in sera etiam hodie Protoplastorum posteritate scrutantis. Et mirum est, quam ex prima gula labe, omnes nitamur in vetitum. Cæsarius de milite memorat, ipsum sibi ipsi poenam commissorum criminum statuisse, ut pomum amarissimorum fructuum feracem pro ædibus stantem, ne attingeret, accessit ad privatam legem, etiam Sacerdotis, quem conscientia arbitrum adhibuerat prohibitio, ipso sic volente. Et ecce! tanto affectu in rem prohibitam, cepit ferri, imò rapi, ut arborem conscenderet, manum extenderet, pomo applicaret; nihil præter morsum deesset. Duravit ea lucta totam diem, donec appetente nocte, vix demum victor ab arbore se avulsit. Tantæ molis est restringere gulam, & è Plutonis pomario nihil decerpere; quod quia Proserpina vitare non potuit, aut potius non voluit, infelix umbrarum Domini præda hæsit. Et si hoc ob paucula grana intemperanter carpta; quid de illis dicas, quos illa apud Ovid. lib. 15. Metam. Pythagoræ interrogatio ferit:

---- placare voracis,

Et malè morati poteris jçunia ventris?

II. (b) Proserpinam furtivè pomum carpentem oculus nequam ex occulto advertit. Hic locum habet illud Abimelechi regis Gen. 20. comperientis Saram, quam Abrahami sororem credebat, esse matrimonio junctam; quare donatam dimisit cum monito: *quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* Deprehensa Proserpina documento est sexui suo, furtivam seu gulam, seu libidinem aliquantisper celari posse, penitus tamen abscondi, occultarique non posse, quin subito erumpant, magnasque post se calamitates trahant. Frequentiores in secreto seu pitissationes, seu catillationes in rubente non raro vultu se produnt; antecambulo puer, pedisequa ancillula odorantur vestigia, *furtivas ad aquas*, ut Salomon loquitur Prov. 9. ducentia. Fallit se ipsam nocens

securitas;

(b) *Incanta securitas.*

securitas; animus recti tenax, etiam tuta timet. Putabat Proserpina sine teste se esse; dicebat sibi: Nemo te videt; carpe, comede. Sed hoc *putabam* multos perdidit: Decepta est pessimè, puero vidente pessimo. Nihil enim verò tutum ab arbitris, non dicam Numinis, sed etiam hominis, abstrusa penetrantis, oculis. Et ut hos devites; ut furta patres abductiūs à Solis radijs; non ideò tamen evasisti. Per clausas etiam valvas invenit rimam Nemesis, quæ *diem & dicam* scribat tibi.

III. (c) *Ascalaphus* est imago delatoris improbi: etsi veri, tamen invidi, solâque nocendi libidine acti. Meritò in *bubonem* transijt, simillimus buboni. Est hic inter aves nocturnas maximus, colore fusco, grandi capite orbiculato, torvoque vultu, aduncis unguibus, obscuros specus, turres, & deserta loca incolens, infirmo visu, solem non ferens, aut si prodeat, infausti ubique omnis: nec recto, sed obliquo volatu se proripiens, quem noctu exercet cum ferali sonitu: omnium cæterarum, dum apparet, volucrum infestantium scopus. Virtutes hæ sunt Sycophantæ & accusatoris subdoli. Torvo scilicet incedit vultu, diabolo (*qui fratrum est accusator & calumniator* 12. Apocal.) propior, quàm homini, aduncis unguibus, id est acquirendi cupiditate ad alios defendendos rapitur. De his Martialis epig. 4. in Spectac.

Turba gravis paci, placidæque inimica quieti,

Quæ semper miseras sollicitabat opes.

Nimirum tales bubones spe præmiorum illecti, innocentes pariter ac nocentes, reos agunt, inde *Quadruplicatores* dicti, quòd quartam bonorum partem damnati hominis olim indipiscerentur. Ex Seneca lib. 3. de benef. c. 26. constat, sub Tiberio Cæsare fuisse accusandi frequentem, & poenè publicam rabiem, quæ omni civili bello gravius rogatam civitatem confecit. Paulo Prætorio capite stertisset, admovisse matellæ gemmam Tiberij ectypam, nisi servus ebrio anulum extraxisset, & delatoris insidias antevertisset. Damnatus alius; quòd servum verberasset, qui denarium cum effigie Cæsaris apud se habebat. Quid infaustius his exploratoribus, bubonum instar, obliquo volatu, hoc est gressu hypocritico sese in domos, sub specie amicitiae penetrantibus, ut aliorum dicta & facta foras efferant, deferant, traducant. Hujusmodi proditor (Traditorem vocat Tacitus) describitur à Salomone Prov. c. 6. *Graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum.* Scilicet nutu oculorum blando amicitiam simulat; plodit pede humum, ut significet, se admirari dicta & facta amici; di-

T 3

gito

(c) *Delator improbus.*

gito loquitur, id est, extendit digitum, ut admirationem conciliet, ac interim corde machinatur malum. Quis satis caveat sibi ab his avibus de nocte, hoc est, sub caligine fraudis volantibus, & visa, auditaque ferali sono in crimen & accusationem vocantibus? Et verò quicumque loquaces sunt, plerumque obrectatores & vaniloqui insimulatores sunt, candidaque nigris vertunt. Corvus apud Ovidium lib. 2. Metam. initio albis erat plumis: loquacitas nigrum reddidit, canente Poëta:

Lingua fuit damno: lingua faciente loquaci,
Qui color albus erat, nunc est contrarius albo.

IV. (d) Proserpina de sententia Jovis alteram anni partem cum conjuge, alteram cum matre commorari iussa est. Eminent in hoc iudicio sapientia Judicis, qui factus sequester litis inter fratrem & sororem, cum neutram vellet, nec posset offendere partem, illis retinendæ Proserpinæ jus ex æquo, partitus est: & illud quasi Salomonis 3. Reg. 3. pronuntiavit: *Dividatur*. Requirit enim æquitas, ut cum satis *haud liquet* causa, teneatur medium, ne pars alterutra lædatur. Maro canit:

Rex Jupiter omnibus idem.

Hoc Judicantis officium est, ut in ambigua controversia neutri litigantium parti abjudicet causam, sed *dividat*: neque lancem paribus argumentis libratam, auro prægravari sinat; parum enim differunt *Plutus* & *Pluto*, & hic per illum sæpius in judicijs triumphat.

V. (e) Nescio, an Proserpinæ dimidiata apud inferos, & superos commoratio, non etiam significare possit feminarum quarundam mutabilem & perversam indolem; quæ studijs quandoque pietatis ita videntur addictæ, ut eas inter Cœlites agere, & vitam vivere innocentem ac beatam existimes; Rursus subitò ponunt larvam, & vix è limine sacro domum reduces, adeò debacchari incipiunt in maritum & domesticos, ut *Proserpinas* agnoscas Plutonio thoro dignas, *Dixeris*, manè fuisse Charites, meridiè homines, vespere Furias.



(d) Iudex sapiens & æquus. (e) Mutabiles feminarum mores.

SYM-